

## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan.  
Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In  
Dominicas, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In  
singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

50. De Samaritano & Levita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](#)

Et tandem obedientem filium mirificè solatur : *Fili ! tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt :* quid ergo est, quod de stola & vitulo queraris ? Tale est hoc, ac quod de ove perdita : *Majus & gaudium, &c.* nec ideo præjudicatur justis, qui non indigent pœnitentiâ.

## MEDITATIO L.

*De saucio à latronibus.* Luc. 10.

### PUNCTUM PRIMUM.

**H**omo hîc est quivis Adæ filius, qui cùm es. Homo sit in gratia, & civis Ierusalem cœlestis, lapsus. descendit in Iericho, quod lunam significat, per affectum rerum caducarum. Hic *incidit in* *Luc. 10.* latrones, hoc est, dæmones insidiatores, & apertos etiam invasores, qui mundi, & carnis nostræ ministerio utuntur, ad nos perdendos, nempe opera mundanorum hominum, & nostris appetitionibus. Expoliant bonis, charitate, & Quibus aliis donis Spiritûs Sancti, eam comitantibus, & spoliaut. nominatim alium alia virtute, aut castitate, aut patientia, &c. vel etiam ipsa fide, ac spe, cùm obesse quamplutimum intendant, dicentes : *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ps. 136.* ea. Plagæ sunt, quæ ex peccato manent in potentijs, obstructio intellectus, debilitas voluntatis ad resistendum vitijs, inordinatio passionum. *Semivivus relinquitur cum sola fide, & lumine naturali.* Hunc me fuisse cogitabo.

PUN-

<sup>3.</sup>  
Qui la-  
trones

## PUNCTUM II.

**Qui non** **Q**ui sunt illi transeuntes? *Sacerdotes & Le-*  
**subve-** *vitæ sunt, qui licet in dignitate positi, non*  
**nunt.** *valent subvenire, (tale vetus Sacerdotium) vel*  
**Samari-** *qui propriis; commodis intenti, non tangun-*  
**tanus** *tur aliorum miseria, vel qui satis esse putant, si*  
**Jesus.** *ipsi periculum vitent suum. Denique nulla pura*  
*Creatura potuit remedium afferre. Samaritanus*  
*autem (quod significat custodem desertorum)*  
*est Filius Dei, qui ex cœlesti Ierusalem veniens*  
*in hunc mundum instabilem, & ut homo ingre-*  
*diens per vias communes absque peccato, pró-*  
*que Samaritano in contemptum habitus, nostri*  
*miserius est.*

## PUNCTUM III.

**1.** **Appro-** **Q**uid egit Samaritanus? Appropiavit ipse  
**pinquat** *vulnerato, cui non erant vires surgendi vel*  
**peccato-** *accedendi ad medicum. Talis est peccator*  
**ri.** *ex se, nec juvare se potest, nisi præventus gratiâ.*  
**2.** **Ligat** **2. Alligavit vulnera, extenso cruento, cohicens**  
**vulnera.** *ulteriorem fluxum, quod est ab affectu peccati*  
**cessare, non solùm ab actu. 3. Infudit oleum &**  
**3.** **Infundit** *vinum ex vasis Sacramentorum, quæ de cœlo*  
**vinum.** *attulit; oleum misericordiae leniens, & vinum*  
*charitatis confortans. Tale etiam est Verbum*  
*Dei, partim blandè alliciens, partim perstrin-*  
*gens, ut parturiamus Spiritum salutis. 4. Im-*  
*ponit in iumentum suum, transferendo in se*  
*peccata nostra, & opportunis auxilijs debiles*  
*adhuc*

adhuc ex plagis sublevando. Abduxit ex via,  
& peccandi occasionibus subtrahit, inducitque  
in diversorum Ecclesiæ, vel etiam in tutum  
hospitium Religionis, & curam illius agit, tan-  
quam Pater amantissimus. Non deserit, quos  
justificat. 5. Altera die, quando tempus fuit re-  
deundi ad cœlum, unde venet, protulit duos  
denarios, deditque stabulario, ut curam illius  
ageret. 6. Substituit sibi vicarios, & suppedavit  
sumptum ad curationem. Duo denarij sunt  
scientia & potestas. Hortatur autem, ut non  
solùm curam adhibeant necessariam, & quam  
ex officio tenentur; sed ut exquisitam, supràque  
debitum: id enim ipsis ad præmium fore. Tanta  
est Christi sollicitudo de incolumitate nostra.  
*Quid retribuam Domino pro omnibus quæ re- Ps. 121.  
tribuit mihi?* 12.

Et occasi-  
fones  
peccati.

Superio-  
ribus  
com-  
mittit.

#### PUNCTUM IV.

**C**onclusio, *Quis horum trium videtur tibi Christi  
proximus fuisse illi qui incidit in latrones? imitatio  
qui fecit misericordiam in illum. Vade & tu fac  
similiter.* Vult, ut invicem id officium præste-  
mus in necessitatibus, tam corporis, quam ani-  
mæ, pro nostra facultate; & se in exemplum in-  
sinuat, redditurum mensuram bonam & super- Luc. 6:  
fluentem. 38.

Nota. Hæc parabola potest considerari, vel  
de genere humano percusso, & spoliato in Ada-  
mo per peccatum originale, vel de quovis pec-  
atore, ratione peccati actualis proprii.

Ce

ME.